


Ad Usum Rendi P.
D. Chrysostomi Erc
mit Camal: M. C.
Inserviens.

CORONA DOMINI

ALVATORIS NOSTRI ESU CHRISTI,

juxta ritum & usum

Patrum Eremitarum Camaldulensium

S. ROMUALDI

devotis aspirationibus,

m additamento Litaniarum & variarum Orationum piarum: de PASSIONE DOMINI,

ONTEXTA.

Cum Licentia Superiorum.

ACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS,
Annô Domini M.DCCLII.



MODUS
recitandi Coronam Domini Nostri Salvatoris, JESU CHRISTI.

Per signum Crucis de inimicis nostris Libera nos DEUS noster

℣. Benedices Coronæ anni benignitatis Tuæ.

℟. Et campi Tui replebuntur ubertate.

Veni Sancte Spiritus &c.

ORATIO PRÆPARATORIA.

O Pater Clementissime misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui ex abundantia charitatis Tuæ dedisti nobis Unigenitum, ac dilectissimum Filium tuum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: benedicas quæso Coronæ annorum, & Vitæ Sanctissimæ ejusdem Dilecti Filij Tui; ut labia mea repleantur ubertate gratiæ tua ad recolendam dignè & devotè laborum & dolorum ejus memoriam, quam ego

 offer-

offerre intendo, ad æternam Nominis tui Sanctissimi gloriam; in meam, & totius Ecclesiæ militantis utilitatem; in unione perfectissimæ illius attentionis, & ardentissimæ charitatis quâ te pro nobis idem Filius exoravit & laudavit perfectissimè in terris: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

PRIMÆ DECADIS.

Ave Maria. &c.

ORATIO.

O Speculum sine macula, Sanctissima Virgo MARIA, laudo, saluto, ac obsecro Te, per dulcissimum Cor JESU CHRISTI Filij tui amantissimi, quem tu de Spiritu Sancto conceptum, in utero tuo castissimo novem Mensibus gestasti, & illæso Virginitatis flore genuisti, solicite fovisti, & educasti: impetra mihi ab eo peccatorum meorum veniam, cordis & corporis perfectam puritatem; ut sim ex eo numero, quorum animas dulcissimus natus tuus dignatur inhabitare.

Pater

Pater noster &c.

O JESU dulcedo cordis mei, per immensam illam dulcedinem charitatis tuæ, quæ te de Cœlo traxit in uterum Virginis: descende in cor meum per gratiam tuam, & fac me unum tecum in æternum, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU fons omnis Sanctitatis, per gratiam illam, quâ visitans Elisabetham, Joannem in utero ejus sanctificasti, sanctifica cor meum, & ejectâ omni malitia, reple illud gratiâ tuâ, Am:

Pater noster, &c.

O JESU Verbum pro nobis Carofactum, per pauperrimam tuam in Bethleemitico præsepio Nativitatem, fac, ut nova tua per carnem nativitas, me à vetusto peccati jugo liberet, A.

Pater noster, &c.

O JESU humilium celsitudo, per tuam pauperrimis Pastoribus Cœlestis militiæ concentu manifestationem; fac pauperem, simplicemq; spiritu, ut gratiâ tuâ, quam humilibus confers, dignus inveniar, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU, cujus Nomen super omne nomen, per tuam innocentissimam Circumcisionem, & dulcissimi Nominis JESU impositionem, abstrahe cor meum ab omnibus, ut omnis creatura mihi vilescat, & tu solus cordi meo dulcescas, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU candor lucis æternæ, per tuam à tribus Magis Stella duce adorationem; illumina animam meam, eamq; verâ tui ac mei cognitione perorna, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU lumen ad revelationem gentium, per tuam in Templo Salomonis oblationem, doce me facere voluntatem Tuam: ut me tibi in omnibus perfectè semper offeram, & resignem, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU refugium nostrum, per tuam in Ægyptum in Herodis persecutione fugam: concede ut omnia, quæ me à te avertunt, fugiam, & in omni tribulatione Tibi adhæream, A. *Pater noster, &c.*

O JESU Sapientia, quæ ex ore Altissimi

tissimi prodijsti, per tuam in medio Doctorum inventionem; fac, ut te ardentissimo semper desiderio quæram, & ex invento hîc & in æternum gaudeam, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU in laboribus â juventute tua per humillimam Parentibus Tuis subjectionem; da ut omnibus propter te libenter me subijciam, nesciri & contemni diligam, Amen.

SECUNDÆ DECADIS,

Ave Maria. &c.

O R A T I O.

O Deliciosissimum Divinitatis tabernaculum, Purissima Virgo MARIA, laudo, saluto, & obsecro te per dulcissimum Cor JESU Christi Filij tui amantissimi; qui pro mea, & totius mundi salute varijs laboribus, jejunijs, itineribus, prædicationibus, persecutionibus, defatigari voluit; impetra mihi ab eo, ut pro amore ipsius, & animæ meæ salute, quoscunq; labores libenter suscipiam, & in bonis operibus

usq; ad finem vitæ per gratiam ipsius perseverem, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU Agnus sine macula, per tuum in Jordane per manus Joannis Baptismum, emunda animam meam perfectè, & restitue mihi innocentiam, quam in baptismo contulisti, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU, Cibus electorum, per tuum quadraginta dierũ in deserto jejunium; da ut me in mundi hujus solatijs propter te mortificem, ut tu sis unica delectatio, & desiderium cordis mei, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU, Via, Veritas, & Vita, per tuam Discipulorum vocationem, fac me obedire voci tuæ, & viam mandatorum tuorum feliciter decurrere, A.

Pater noster, &c.

O JESU vitis vera, per tuam in Cana Galileæ, aquæ in vinum mutationem, frigidum cor meum ferventi devotionis Spiritu excita, & in amore Tui accende, Amen.

Pater

Pater noster, &c.

O JESU spes peccatorum, per mansvetissimam tuam cum peccatoribus conversationẽ, & eorũ paternã receptionẽ suscipe me venientẽ ad te, & concede, ut ubi abundavit delictum; ibi abundet gratia tua, Am. *Pater noster, &c.*

O JESU medicina salutis, per tuam infirmorum, & male habentium curationem; sana animam meam, quia peccavi tibi, & vitali gratia tua eam vivifica, Amen. *Pater noster, &c.*

O JESU cui data est omnis potestas in Cœlo & in terra per admiranda tua in terris opera & miracula, cuncta adversantia nobis propitius averte, & ad protegendum nos, dexteram tuæ Majestatis extende, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU splendor Paternæ gloriæ, per Gloriosissimam in Monte Thabor Transfigurationem: da ut hîc perfectè in te transformari, in futuro revelata facie merear te contemplari, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU Rex Iſràél manſvetiſſime, per tuum in Urbem Hieroſolymitanam triumphalem ingreſſum: fac me vana mundi gaudia, honoreſq; contemnere, te verò viâ humilitatis & abjectionis ſequi, Amen.

1 Pater noſter, &c.

O JESU Panis Angelorum, per tuam in ultima Cæna Sanctiſſimi Euchariſtiæ SACRAMENTI inſtitutionem; fac ut animæ meæ vivificum hoc Corporis tui SACRAMENTUM unice ſapiat, & eam tibi intimè conjungat, Amen.

TERTIÆ DECADIS,

Ave Maria, &c.

ORATIO.

O MARIA Mare amaritudinis & doloris, laudo, ſaluto, & obſecro Te per dulciſſimum Cor JESU CHRISTI, Filij tui amantiſſimi, cui in ejus Paſſione & morte ignominioſiſſima, mæſtiſſimo corde adeò compatiebaris, ut animam tuam doloris gladius transfixerit; impe-

impetra mihi ab eo, in tuis, Filijq; tui doloribus intimam compaſſionem, atq; in Cruce tribulationis ob amorem ipſius, uſq; ad finem vitæ perſeverantiam Amen. *Pater noſter, &c.*

O JESU, fortis zelator animarum, per Tuam in Horto Olivarum Orationem, & Sangvineum in agonia ſudorem; fac me calicem cujuſcunq; amaritudinis ob amorem tui libenter bibere, & in agonia mortis meæ tua cælitùs gratia confortari, Amen.

Pater noſter, &c.

O JESU mitis & humilis corde, per tuam manſvetiſſimam ad oſculum Judæ proditoris inclinationem; libera me ab omni hypocriſi; & da mihi inimicorum dilectionem, neq; avertas faciem tuam à me in æternum, Amen.

Pater noſter, &c.

O JESU Samſon fortiſſime, per tuam à militibus in horto comprehenſionem, abſolve me ab omni vinculo peccati, & fortiſſimis tuæ charitatis, vinculis animam meam conſtringe, Amen.

Pater

Pater noster, &c.

O JESU ſpecioſe forma præ filijs hominum, per tuam coram Anna & Caipha accuſationem, colaphos, à lapas, carceremq; noctis illius amariſſimum, concedè; ut confundar hîc potius & contemnar proter te, ut à nocte & confuſione æterna liberari merear, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU ſpeculum Innocentiæ, per tuam coram Pilato ſæpiùs repetitam accuſationem, & coram Herode in veſte alba irriſionem, da ut peccata mea agnoſcam, & confitear, aliorum excuſem, & ignoſcam, ac extremo tuo Judicio liber ſim ab illuſionibus, & accuſationibus diabolis, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU Flos pudicitiæ, per tuam in prætorio Pilati ignominioſiſſimam denudationem, & atrociſſimam flagellationem, cooperi quæſo infinitis meritis tuis, nuditatem animæ meæ, & flagella iracundiæ tuæ, nunc & in æternum à me averte, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU in quem desiderant Angeli prospicere, per tuam spineam Coronationem, & derisoriam à militibus salutationem, fac me adversa mundi hujus patienrer ob amorem tui suffere: ut sub spinoso capite membrum non sim delicatum, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU, tanquam ovis ad occiosinem ducte, per tuam ad Crucis supplicium injustissimam condemnationem, & ejusdem Crucis bajulationem, concede, ut de omnibus benè sentiam, sinistra aliorum de me judicia æquo animo feram, & crucem meam tollens, abnegando me ipsum, vestigia tua sequar, Amen.   *Pater noster, &c.*

O JESU, DEUS in nationibus à ligno regnans, per tuam Crucifixionem, & post trium horarum immensos dolores, mortem Cruce amarissimam, confige cor meum Cruci tuæ, & fac me omnibus propter te mori, tibiq; soli vivere ut nihil sciam, & amem; nisi te JESUM pro me Crucifixum, Amen.

Pater noster, &c.

O JESU, primogenite mortuorum, per tuam de Cruce in ſinum Matris Sanctiſſimæ depoſitionem, & Sepulturam; depone in ſinum cordis mei indeſinentem Paſſionis tuæ memoriam, ut in Vulneribus tuis conſepultus, vivam ego, jam non ego, ſed Tu vivas in me ô vita mea, Amen, *Ave Maria, &c.*

ORATIO.

O Paradiſe voluptatis dulciſſima VIRGO MARIA, laudo, ſaluto, & obſecro te, per dulciſſimum Cor JESU CHRISTI Filij tui amantiſſimi; qui devicta morte à mortuis reſurgens, tibi imprimis glorioſus apparuit, & in Aſcenſione ſua, Spirituſq; Sancti miſſione, ineffabili gaudio Cor Tuum amantiſſimum replevit, impetra mihi ab eo felicem tentationum & tribulationum victoriam, rerum cœleſtium amorem, & donorum Spiritûs Sancti fontem vivificum, Amen. *Pater noſter, &c.*

O JESU, Victor, Leo, de tribu Juda, per tuam à mortuis glorioſam Reſurrectionem; fac, ut in novitate vitæ

tecum

tecum reſurgens, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, quæram & ſapiam, Amen *Pater noſter, &c.*

O JESU, DEUS in iubilo abſcedens per triumphalem tuam in Cœlos Aſcenſionem, trahe cor meum poſt te, ùt mente in Cœleſtibus tecum ſemper habitem, Amen. *Pater noſter &c.*

O JESU, Veritas æterna, per amabiliſſimum Spiritûs Sancti, quem Diſcipulis tuis promiſeras, adventum; indue me virtute ex alto: ut ab omnibus mundi ſolatijs, abſtractus, Spiritualium percipere merear gratiam gaudiorum, Amen. *Ave Maria, &c.*

O Regina Cœli & terræ glorioſiſſima VIRGO MARIA, laudo, ſaluto, & obſecro te per dulciſſimum Cor JESU Chriſti Filii tui amantiſſimi, qui te in Cœlo Aſſumptam cum Patre & Spiritu Sancto, diademate gloriæ, coronavit; impetra mihi ab eo, ut in gratia ipſius felici obitu ex hac vita decedens, æternæ vitæ bravium conſequi merear, A.

Credo in DEUM Patrem, &c.

OBLATIO CORONÆ,

SUſcipe Clementiſſime JESU indignum hoc obſequium meum, quod ego mellifluo, ac Diviniſſimo Cordi tuo emendandum & perficiendum offero, deponoq; per Puriſſimas Matris Tuæ Sanctiſſimæ manus in Sacroſancta Vulnera tua, ut quidquid ex me deficit, ex iis mihi abundantiſſimè ſuppleatur: Reſponde ergo ſatisfac & ſupple pro me ô bone JESU, ut memoria hæc annorum, & myſteriorum Sanctiſſimæ vitæ tuæ cedat in conſpectu tuo Divino, in odorem ſvavitatis, & in meam atq; eorum pro quibus eam obtuli ſalutem, utilitatemq; ſempiternam, Amen.

MODUS BREVIOR

Recitandi eandem Coronam Salvatoris Domini noſtri JESU CHRISTI.

Salutatio Angelica.

AVe MARIA gratia plena Dominus tecum) benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui JESUS,

SUS CHRISTUS Sancta MARIA Mater DEI, *Per Conceptionem & Nativitatem tuam*, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ Amen.

ORATIO DOMINICA.

PAter noſter qui es in Cælis, Sanctificetur Nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo, per Incarnationem tuam, Amen.

Pater noſter, &c.

Per Joannis in utero Sanctificationem.

Pater noſter, &c.

Per Nativitatem Tuam.

Pater noſter, &c.

Per Paſtoribus manifeſtationem,

Pater noſter, &c.

Per Circumciſionem Tuam.

Pater noſter, &c.

Per trium Regum adorationem.

Pater noſter, &c.

Sed libera nos à malo.

Per

Per Præsentationem in Templo.
Pater noster, &c.
Per mansionem sub obedientia Parentum.
Per fugam in Ægyptum. *Pater noster &c.*
Per inventionẽ in Templo, *Pater noster.*

Per &c. A.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave MARIA &c. Sancta Maria Mater Dei, *Per Præsentationem tuam & Annunciationem* ora pro nobis &c.
Pater noster, &c.
Per Baptismum tuum in Jordane,
Pater noster, &c.
Per Jejunium in deserto.
Pater noster, &c.
Per aquæ in vinum conversionem.
Pater noster, &c.
Per vocationem Discipulorum.
Pater noster, &c.
Per conversionem peccatorum.
Pater noster, &c.
Per sanationem langvidorum.
Pater noster, &c.
Per tempestatum in mari sedationem.
Pater noster, &c.
Per satietatem turbæ multæ.

Sed libera nos à malo. Per &c. *Amen*

Pater noster, &c.

Per transfigurationem in monte Thabor. *Pater noster, &c.*

Per ingressum cum triumpho in Jerusalem.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave MARIA &c. Sancta MARIA Mater Dei, *Per Visitationem Elisabeth & Purificationem tuam.* Ora pro nobis, &c.

Pater noster, &c.

Per institutionem SSmæ Euchariſtiæ.

Pater noster, &c.

Per sangvineum sudorem in horto.

Pater noster, &c.

Per traditionem à Juda.

Pater noster, &c.

Per alapam apud Annam.

Pater noster, &c.

Per injurias noctis in Carcere.

Pater noster, &c.

Per Illusionem ab Herode.

Pater noster, &c.

Per flagellationem Tuam.

Pater noster, &c.

Per Coronationem Tuam.

Pater noster, &c.

Sed libera nos à malo. Per &c. Amen.

Per Crucis bajulationem.

Pater noster, &c.

Per Crucifixionem & mortem Tuam.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave MARIA &c. Sancta MARIA Mater Dei, *Per Transfixionem Compassionem & dolores tuos.* Ora pro nobis peccatoribus, &c.

Pater noster, &c.

Per Resurrectionem Tuam.

Pater noster, &c.

Par Ascensionem Tuam.

Pater noster, &c.

Per Spiritûs Sancti missionem.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave MARIA &c. Sancta MARIA Mater Dei, *Per Assumptionem & Coronationem tuam,* ora pro nobis, &c.

Credo in DEUM Patrem, &c.

Ut fuso tibi CHRISTE, feram pro sangvine grates,
Nulla satis, longum sæcula tempus erunt.

Certa atq; secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. Sanctus LEO Papa.

BRE-

BREVIS DECLARATIO.

Dignitatis & Excellentiæ,

COROÆ.

DOMINI SALVATORIS NOSTRI.

CErtum id iest, quod quemadmodùm Dominus Deus Omnipotens omnibus factis per servos suos in Lege veteri adimpletis, designabat redemptionē generis humani per Sanctissimā vitā & mortem Filij sui Unigeniti. Quod Sanctus Paulus confirmat, *dicens Omnia in Figura contingebant illis*. Cap: 10. It: & duabus Coronis supra Arcā Domini (quæ Arcā designabat Virginem Deiparam Sanctissimam) ex auro factis (*facies supra Arcam Coronam auream per circuitum, & super illam alteram Coronam aureolam*, Exodi 15.) præmonstraverit. (quod fide dignum est) minori superius posita. Vitam, & actiones dulcissimi JESU; inferiori vero & maiori, ob maiorem annorum numerum Vitam Sanctissimæ Matris

Matris eius. Cuius prærogativam Coronæ Vitæ Domini Salvatoris nostri, Psaltes Regius in spiritu cognoscens exclamavit cum gaudio: *Benedices Corona anni benignitatis tuæ & campi replebuntur ubertate.* Psal: 64. Quin etiam ipse quoq; Sponsus cælestis cupiens Sponsam suam Ecclesiam nempè Sanctam, & animam quālibet fidelem hac ipsa devotione condecorare, & ditare, vocabat eam trina vocatione. *Veni de Libano Sponsa mea, Veni, veni coronaberis.* Cant: 4. Tandem verò post adimpletas figuras omnes, clariùs id dulcissimus JESUS, Sponsæ suæ Gertrudi (de qua id pronuntiare dignatus est, quod in Sacramento altaris & in corde ipsius decentissimè inveniretur, significavit: cùm enim quæreret ex amantissimo JESU, cui potissimū devotioni, post Dominicam tertia Quadragesimæ vacare deberet, respondit illi innuens tantùm: quod id temporis, in Officijs Ecclesiasticis mentio fieret Josephi 30. denarijs venditi. Cùm verò illa exemplo hoc commota, reci-

[p]aret Orationes Dominicas 33 dixit ei Dominus Eme tibi sic apùd me Sanctissimā Vitā meā, quâ trriginta 3bus a nis operatus sum salutē in medio terræ, & hunc fructū cōmunica toti Ecclesiæ, ad veram salutem, æternamq; gloriā meam. Quod cùm fecisset, agnovit in spiritu totam Ecclesiam esse ceu Sponsam adornatam, & decoratam ex fructu perfectissimo Vitæ Christi Domini, ex libris Revelationum, Divinæ clementiæ. S. Gertrud: lib: 4. Cap: 20. Sed neque tum temporis quo erat circa annum Domini 1030. hæc devotio erat proclamata, & à Sede Apostolica confirmata, ob inscrutabilia Mysteria Divina; usq; tandem Anno Domini 1515. idq; hac ratione cùm B. Michaël Eremita S. Romualdi, maneret in Sacra Eremo Camalduliensi (quam S. Romualdus Anno Dñi 1012. in ditione Florentia, in monte quodam instituerat: hoc verò ex revelatione Divina; quandoquidem eo loci viderat, ceu alter Jacob Patriarcha scalam, per quam Discipuli ejus in cœ-

lum

lum ascendebant albis induti vestibus, (nam antea juxta Regulam S. Benedicti, amictu nigro utebantur) in Cella peculiari reclusus annis 15. die quodam recitans Coronam Bæatissimæ Virginis, raptus in extasim, in qua audivit vocem ejusmodi Domini Salvatoris: *Mei autem non recordaris Michaël?* quibus verbis eo magis inflamatus, petijt per intercessionem Beatiss: MARIÆ Virginis à Dulcissimo JESU significari sibi, quô devotionis genere in suo & omniũ Fidelium cordibus memoriam illius perennem fit mare posset. Post quam petitionem, fuit ille à Divinissimo Spiritu edoctus, ut quemadmodũ Coronã Beatissimæ Virginis juxta numerum annorum Vitæ ipsius recitare solitus fuerat; ita simili modo in memoriam 33. annorum quibus Christus JESUS salutem operari dignatus; totidem Orationes Dominicas recitaret, quibus Orationibus Dominicis, quinque Salutationes Angelicas interponebat, ad extremũ Credo. Et vocavit hoc Exercitium Coronam Domini.

Quod

Quod cum innotuisset Pontifici Maximo, sub id tempus LEONI X. eandem illicò confirmavit, amplissimisq; Indulgentijs, quæ inferiùs referentur, decoravit, (Vitam verò hujusce Beati Michaëlis inferiùs lege.) Atque hîc jam quilibet, ex Figuris & verbis Domini Salvatoris Nostri, facilè gnoscere potest; quàm sit hoc Orationis genus Domino Deo acceptum, & nobis salutare. Quòd si cum Sancta Catharina Senensi, Coronam Spineam: aut varias tribulationes propter Jesum sufferre: imitarique eum non potes, Coronæ hujus devota frequentatione ex parte id præstabis. Quemadmòdum verò illam ob quotidianam recitationem in manu tua gestabis; ita vicissim eris: *Corona gloriæ in manu Domini, & Diadema Regni in manu DEI tui* Isaiæ 62. Jam ergo hac in devotione, *esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ*, *dicit Dominus* Apocal: 6. *Acproinde tene quod habes, & nemo accipiat Coronam tuam*, Apocal: 3. Quid devotus quidem sibi, & tibi gratulatur, cùm inquit.

O Regale viri Christiani hominis ornamentum: nunquam recedas à corde, nunquam marcescas per oblivionem in Capite, sed semper nova virtute revirescas in mente.

INDULGENTIÆ

COronam Domini Salvatoris Nostri recitantibus, concessæ sunt primùm à LEONE X. Pontifice Maximo, Florentiæ 18. Februarij Anno Dñi 1516. Pontificatûs sui Anno 5tò. Deinde à GREGORIO XIII, Pontifice Maximo, Romæ 14. Februarij Anno 1573. Pontificatûs sui; Anno 1mò Item à SIXTO V. Romæ 3. Februarij 1589. Pontificatûs sui Anno 4tò, à PAULO V. Pontifice Maximo, à CLEMENTE IX Romæ 15. Octobris 1669. Pontificatûs sui Anno 3. Tandem à CLEMENTE X. Summo Pontifice, qui omnes Indulgentias ab Antecessoribus suis concessas confirmavit, & ampliavit, prout sequitur.



CLE-

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

DE salute gregis Dominici, Divina dispositione nobis commissi solicitè cogitantes Christi Fideles spiritualibus muneribus adiuvare non cessamus, ut eorum devotio ad Omnipotentis DEI *cultum & pietatis opera, in dies magis augeatur. Cùm itaq; sicut accepimus dilecti filii Monachi Congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, & Eremitæ Camaldulenses, Coronas Domini nostri* JESU *Christi jam pridem, Fidelibus dispensare consveverint; Nos laudabilem hujusmodi usum, harum ser approbantes, easdem Coronas, Indulgentiis atq; aliis Spiritualibus muneribus, quæ infra sequuntur, ad spiritualem fidelium consolationem & animarum salutem duximus esse decorandas.*

Qui verè pœnitens & Confessus, seu firmum confitendi propositum habens, unam ex dictis Coronis, sibi à præfatis Monachis vel Eremitis Camaldulensibus immediatè vel mediante alia Persona traditam recitaverit, quotiescunq; id fecerit ducentorum annorum, necnon quicunq;

Coronam hujuſmodi ſecum deferent ſingulis ſecundis, quartis & ſextis ferijs, ac feſtivis de Præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitis diebus recitaverit, dummodo confeſſus & communicatus fuerit, centum quinquaginta annorum. Qui autem ſolitus fuerit eam recitare quater in hebdomada, ſemel in anno, die per eum eligenda, ſi ea die confeſſus, Sanctiſſimum Euchariſtiæ SACRAMENTUM ſumpſerit, & dictam Coronam pariter recitaverit Plenariam: qui verò eandem Coronam ſingulis diebus per Menſem integrum etiam recitaverit & ſubinde vere pœnitens & confeſſus ac Sacra Communione refectus, pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sacræ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, quoties id fecerit, itidem plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem conſequatur.

Quicunq; ſolitus fuerit ſaltim ter in hebdomada dictam Coronam recitare, & in bello contra Infideles, Hæreticos, & S.R.E. hoſtes dimicârit, ſi eo vel antecedenti die eandem Coronam recitaverit, & in actu dimicationis mentem ad DEUM elevaverit, & peccatorum

ſuorum

suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit si in dicta pugna occubuerit, plenariam Indulgentiam pariter consequatur.

Item quicunq; infirmus, unam ex dictis Coronis, sibi ut præfertur traditam, apud se habens eam prius hac intentione recitaverit, & in illa infirmitate delictorum suorum pœnitens & confessus in articulo mortis Sanctissimum Nomen JESU corde & ore, si potuerit, sin minus, corde invocaverit. Plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem, si mors inde subsequatur, si verò mors non subsequatur, Indulgentiam ducentorum annorum lucratur.

Qui secum deferens unam ex Coronis prædictis, sibi sicut præmittitur traditam. Nomen JESU invocando examen conscientiæ suæ fecerit, & ter Orationem Dominicam, toties Salutationem Angelicam recitaverit, preces ad DEUM pro tranquillo & felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies Indulgentia. Qui dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, & post Confessionem DEUM Optimum Maximum pro augmento Fidei Catholicæ, Hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exalta-

exaltatione oraverit. viginti annos Indulgentias lucretur, & solitus se exercere in aliquo ex operibus quæ fieri solent in Religionibus; sic particeps omnium & singulorum operum quæ fient in dictis Religionibus, si intentione hujusmodi participationis illud opus exercuerit.

Qui apud se habens unam ex prædictis Coronis sibi traditam ut præfertur, & legitimò impeditus Missæ Sacrificio diebus Festivis de præcepto Ecclesiæ non interfuerit; si quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitaverit; huiusmodi defectum suppleat; Et si dicto Missæ Sacrificio interfuerit, dictam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitando, quamcunq; mentis vagationem similiter suppleat, dummodò debitâ operâ factum non sit.

Quisquis secum deferens unam ex dictis Coronis, sibi ut supra traditam, Missæ aut Prædicationi interfuerit; vel Sanctissimum Eucharistiæ SACRAMENTUM, dum ad infirmos, aut alias Solenniter in Processionibus defertur, associaverit, vel aliquem à prava ad salutis viam reduxerit, ut puta ab hæresi, blasphemia, detractionibus, vel pacem cum

inimicis compoſuerit, vel aliquod aliud, tàm Spirituale, quàm temporale opus ad honorem Domini noſtri JESU Chriſti, vel Glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ aut alterius Sancti pro cujuſq; devotione, vel ad temporalem aut ſpiritualem proximi ſalutem operatus fuerit, & Pater noſter & tandem Ave MARIA recitaverit, decem annorum Indulgentiam conſequatur.

Qui diebus ſtationum Eccleſiarum Almæ Urbis, & extra illius muros, abſens ab illa, confeſſus & Sanctiſſima Communione refectus, ac ſecum Coronam ſibi ut præfertur traditam habens, Eccleſiam ab ipſo pro ſua devotione eligendam viſitaverit, vel urgenti cauſa impeditus dictam Coronam, ac Septem Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs ac ſequentibus ſuffragijs recitaverit, ducentorum annorum Indulgentiam conſequatur. Ac eandem etiam conſequantur ij, qui in Urbe eadem opera peregerint, ſi legitimo impediti eaſdem Eccleſias viſitare nequiverint.

Deniq; quod omnes ſupradictæ Indulgentiæ applicari poſſint animabus Fidelium Defunctorum, quæ DEO in Charitate conjunctæ, ab

hac luce migraverint; si ea intentione pro eis oretur, vel supradicta opera peragantur, Authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus, Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut supradictæ Coronæ nemini possint vendi, vel commodari. Et si secus fiat Indulgentiæ supradictæ cessent, nulliusq; sint roboris & momenti, sed circa eas Decretum à felici recordatione ALEXANDRO Papa VII. Prædecessore nostro, die 6. Februarij Anno 1667. Editum omnino servetur. Utq; earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris. Die 20. Julij 1674. Pontificatûs nostri Anno 5to. I. G. Slusius.

Ita est Vincentius Octavianus Curiæ Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis S. D. N. Papæ Vicarij Generalis Almæ Urbis Notarius infidem. (L.S)

DIES INDULGENTIARUM ROMÆ.

Quæ iisdem diebus extra Romam ubique locorum, juxta concessionem CLEMENTIS Papæ X. numero ut supra 25. ab habentibus hanc Coronam lucrari possunt,

Indulgentiæ in Januario.

1. 6. 7. 10. 13. 16. 17. 18. 21. 22. 25. 27. 31.

In Februario.

1. 2. 3. 5. 9. 22. 24. 26.

In Martio.

Omnibus diebus Veneris in hoc Mense 7. 12. 20. 25.

Indulgentiæ in Quadragesima.

A prima die Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis, sunt singulis diebus Indulgentiæ.

In Aprili.

1. 3. 5. 23. 25. 29.

In Majo.

1. 3. 4. 6. 8. 11. 19. 20. 21.

Sciendum, quòd omnibus sequentibus diebus Indulgentiæ sint.

Die Lunæ, Martis, & Mercurij ante Aſcenſionem Domini, in Vigilia Pentecoſtes, ipſo Feſto. & ſequentibus octo diebus

Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis.

In Junio.

1, Dominica Junij.

2. 11. 13. 15. 24. 28. 29. 30.

In Julio.

II. Dominica Julij.

2.15.17.20.21.22.23.26.27.28.29.30.

In Auguſto.

1.2.4.5.6.10.12.15.16.19 22.25.28. 29.

In Septembri.

10. 14. 18. 20, 21. 27. 29. 30.

In Octobri.

4. 18. 28.

In Novembri

1.8.9.10.11.18.21.22.23.24.25.30.

In Adventu.

I. II. III. & IV. Dominica Adventûs.

In Decembri.

2. 4. 6. 7. 8. 13. 21. 23. 25 26. 27. 28 29. 31.

SYNO-

SYNOPSIS VITÆ B. MICHAELIS,

Eremitæ Camaldulensis, *INVENTORIS* CORONÆ CHRISTI DOMINI.

POstquàm Sanctus Romualdus Fundator Sacri Ordinis Camaldulensium, ultra centum Cænobia erexisset, & multa juxta Regulas Sancti Benedicti reformasset necnon Eremum Sanctis Viris ita implevisset, ut totus mundus ejus exemplaris vitæ actionibus renovatus videretur (uti Beatus Petrus Damianus, qui ejus vitam concinnavit, de illo agit: *Tali modo hominum animos suô exemplô & doctrinâ commovit, ut appareret, totum mundum ejus vestigia secuturum*) Quintum supra centesimum ætatis suæ annum numerans, ductu Divini Spiritûs, Anno 1012. ad Alpes Appenienses in Arezana Diæcesi sitas abijsset, ibique inter densissimas utrinque sylvas in amœnissimo campo, non absimi-

absimilis Sanctissimo Patriarchæ Jacob, ad quietem se composuisse; vix primus sopor oculos clausit, objicitur dormienti scala, in qua Fratres sui futuri Ordinis, albis induti vestibus, ad Cœlum felicissime ascenderunt. Ex qua visione ubi DEI voluntatem intellexerit, hujus territorij possessorem Comitem de Maldolo, qui eandem visionem quiescens habuit, cōvenit, facileque eas sylvas, & campos, cum adsita arce obtinuit. Hic deinde Sanctus Romualdus nigrum habitum (quô tanquam Sancti Benedicti Monachus, annis 85. utebatur) in album transmutavit, & Eremum celeberrimam Camaldulensium dictam fundavit.

Hoc in Ordine omni tempore, virtute & sanctitate Viri eximij reperiebantur, inter quos etiam fuerat Beatus Michaël Coronæ Christi Domini nostri Inventor.

Hic Florentiæ Anno 1440. in lucem editus est, & quia Juvenis erat, de quo magna quæque sperari poterant, Lau-

renti-

rentius de Medices, eum aulæ ſuæ adlegit; ille autem majori vitæ longe Domino ſervire volens: Clericalem habitum aſſumpſit, & cum eo divitem Eccleſiaſticam præbendam, cujus reditus in pia & Chriſtiana, opera liberaliſſimè impendit, dum interim ille jejunando, Sacras paginas evolvendo, orando, & ſimilibus operibus ſaluberrime tempus inſumpſit: Contigit autem, ut quadam die Camaldulum ad Eremum veniens Religioſorum fratrum exemplo commotus, tam vehementer in ſolitariam vitam inamoraretur, ut poſtquam in tam rigoroſo ordine DEO ſervire decreviſſet, conſtantiſſime admiſſionem ſui expetierit: & impetravit etiam poſt factam rerum ſuarum diſpoſitionem: Quo in Ordine vix Sacris veſtibus indutus mirabili & ſummâ omnium cohabitantium ædificatione, in dies de virtute in virtutem, ſummos progreſſus fecit. Unde Beatus hic Vir pro majori Spiritûs recollectione, à ſuis

Supe-

Superioribus impetravit, ut certo tempore in cella se claudere liceret, cum aliunde in hoc Ordine usus obtinuerit, ut majoris Spiritualis quietis cupidi magni jejunij, vel quocunquè alio tempore, quidam se se ab aliorum consortio segregent: & quandoquè totâ vitâ seclusi maneant, quo tempore suas functiones in cella eadem horâ quâ alij congregati simul in Choro, summo fervore solô DEO arbitriô, peragunt. Hanc solitudinis dulcedinem (in solitudine enim DEUS suis loquitur ad cor) cum Beatus Michàél gustasset, rogavit, & ob specimina virtutis data impetravit, ut residuum vitæ tempus, in hoc sancto, & voluntario carcere consumeret. De hinc antiquum hominem potens ciliciô flagellô & continuo jejunio corpus suum in servitutem redigere laborabat: illis diebus quibus, dari solet, modicò, utebatur jusculô vino aut nunquam, nisi die Dominicâ parcissime. Igni appropinquabat nunquam,

quam, ut somnolentiam evitaret quæ inde oriri solet, Silentium observabat semper; quia taliter inclusis cum, nullo loqui, sine expressa Superioris licentia est concessum, neque ijs diebus, quibus, reliqui ad colloquium Spirituale convenire solent. Campanæ, signum, quô omnes ad orandum convocantur, semper prævenit, & ad eas preces, in sua cella peragendas, serio præparavit. Finito Matutino, totum tempus rerum Divinarum contemplationi impendit, ut sæpè candidissimus facie tanquam Cherubim appareret & inde, licet non adeo eruditus fuerit, mirabiles tamen Sacrarum literarum explanationes habuit. Sacrificium Missæ summa devotione peregit, & Sacros Psalmos attentissime recitavit; obligantur enim inclusi Camaldulenses totum Psalterium quotidie absolvere, Mensa parcissima absoluta, Coronas ex ligno efformare, corbicos conbinare, hortulum suum excolere, & similes manuales labores peragere solebat, in o-

hortu-

mnibus animum ad DEUM elevando. Reliquum lectioni, ac scriptioni rerum Spiritualiũ impendit, Præditum fuisse prophetiæ dono testantur Cardinales, Julius de Medices, & Alexander Farnesius quibus Pontificatus dignitátem prædixit, uti & ille CLEMENS VII. hic vero PAULUS III. audit. Clarus quoque erat miraculis patrandis, uti expertus est quidam pauper in bove, qui crepuerat & Beatus Samuel in suo ad Altare Ministro, qui gravi capitis dolore angebatur; nam bovem vitæ, famulum sanitati, suis precibus restituit. uti & multi alii illius Patrocinio magnas gratias apud DEUM obtinuerunt. Matrem DEI speciali veneratione colebat in cujus honorem sæpe Coronam recitavit. Dum quadam die anni 15. inclusionis suæ, ferventissime orabat, vocem intus sibi dicentem audivit, *Michaël mei non memineris?* quâ auditâ secum conclusit, se velle de inceps

ceps JESUM Christum Dominum nostrum, recitatione 33. *Pater noster*, in memoriam annorum, quibus amore nostri nobiscum in terra versatus est, cum additione 5. *Ave Maria*, in memoriam mysteriorum Beatæ Virginis recitare. Et hunc orandi modum, Coronam Christi: Domini appellavit, quod LEO X. illo tempore Pontifex approbavit, & multis Indulentijs condecoravit: & ideo à Christi fidelibus in hodiernum usque diem summa devotione recitatur. Tandem, postquam Vir Beatus 21. annis in Cella clausus, visibilium, ac invisibilium, machinationes hostium feliciter superavit, tempus ejus liberationis ex duplici carcere advenit, & benedicta illius anima, meritis ditissima, 20. Januarij 1522. in Paradisum Cœlestis libertatis transmigravit.

Cujus manus cum Beatus Justinianus de Bergamo, Eremi Incola venerabunde osculatus fuisset, à diuturno dentium dolore liberatus est. Et hoc ad Christi Domini nostri honorem, qui mirabilis est in Sanctis suis. ORA-

ORATIONES ET LITANIÆ
De Vita & Paſſione Domi Noſtri JESU CHRISTI.

Non te pertranſeat pericula bonæ diei, abſq; memoria Paſſi pro te Domini.

ORATIO DIVI BERNARDI.


O JESU, JESU, mi, ad Paſſionis tuæ glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino, Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum, in Nomine Tuo Chriſte adoro. Tuum ſpineum Diadema, Tuos rubentes Sangvineos clavos, Tuo Sacro Lateri immerſam lanceam, Tua vulnera Tuum Sangvinem, Tuam mortem, Tuam Sepulturam Chriſte ſuppellex adoro & glorifico. Confige Cruci Tuæ manus, & pedes meos, ac totum Paſſioni Tuæ conforma ſervum tuum Domine.

Oblatio ad Patientem JESUM.

BEnigniſſime JESU, ſvaviſſime JESU, quem pro nobis & propter

nos

nos charitas ardentissima erga nos Cruci affixit. suscipe nunc omnium Vulnerum Tuorum dolores sangvineasq; guttas; suscipe pientissimæ MATRIS Tuæ compassionem & dolorem pro peccatis meis, & pro peccatis universi mundi: suscipe etiam quæso me indignissimũ peccatorem, quem Tibi offero, in unione Doloris Matris, & in unione charitatis tuæ, & cunverte me in laudem & gloriam tuam, juxta summum atq; supremum beneplacitũ tuum, AMEN.



LITANIÆ

KYrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS, Misere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere nobis.
Sancta TRINITAS Unus DEUS, Miserere nobis.

JESU

JESU Sapientia æterna, Miserere nobis.
JESU de Virgine MARIA nate,
JESU à tua Genitrice adorate,
JESU pannis involute,
JESU in Præsepio reclinate,
JESU Ubere Virgineo lactate,
JESU à Pastoribus in præsepio cognite.
JESU per Circumcisionem sub Lege facte,
JESU à Magis adorate,
JESU in Templo præsentate,
JESU in Ægyptum delate,
JESU ab Herode ad necem quæsite,
JESU in Nazareth nutrite,
JESU in Templo invente,
JESU Parentibus subdite,
JESU à Joanne Baptizate,
JESU in deserto tentate,
JESU cum hominibus conversate,
JESU gratis odio habite,
JESU contumeliis vexate,
JESU in monte coram Patribus transfigurate,
JESU Rex mitis Jerusalem ingresse,
JESU triginta argentis vendite,

Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere

JESU ad Diſcipulorum pedes inclinate Miſerere nobis.
JESU in Oratione proſtrate,
JESU in agonia Sangvineo ſudore conſperſe, Miſerere nobis.
JESU oſculo à Juda tradite,
JESU à Miniſtris ligate,
JESU à Diſcipulis derelicte,
JESU Annæ Caiphæ præſentate,
JESU àlapa à miniſtro percuſſe,
JESU à falſis teſtibus accuſate,
JESU reus mortis judicate,
JESU in faciem conſpute,
JESU oculis velate,
JESU à Petro ter negate,
JESU vinctus Pilato tradite,
JESU ab Herode ſprete & illuſe,
JESU alba veſte indute,
JESU Barrabæ poſtpoſite,
JESU flagellis cæſe.
JESU propter ſcelera noſtra attrite,
JESU quaſi leproſus reputate,
JESU veſte purpurea indute,
JESU ſpinis Coronate,
JESU arundine percuſſe,

Miſerere nobis. Miſerere nobis. ...

JESU à Judæis ad Crucem postulate, Miserere nobis.
JESU morte turpissima condemnate,
JESU voluntati Judæorum tradite,
JESU Crucis pondere gravate,
JESU tanquam Ovis, ad occisionem ducte,
JESU Vestibus exute,
JESU Clavis in Cruce confixe,
JESU propter iniquitates nostras vulnerate.
Miserere nobis.

JESU qui pro inimicis Patrem rogasti
JESU cum iniquis reputate,
JESU in Cruce blasphemate, & illuse
JESU â Latrone convitijs lacessite,
JESU qui Latroni pœnitenti Paradisum promisisti,
JESU qui Joannem Matri tuæ in Filium commendasti.
Miserere nobis.

JESU te à Patre derelictum attestate,
JESU felle & aceto in siti potate,
JESU qui omnia de te scripta consumâsti.
JESU usque ad mortem Crucis obediens facte.
Miserere nobis.

JESU lancea transfixe, Miserere n.

IESU propitiatio nobis facte,
IESU de Cruce deposite,
IESU gloriosè à mortuis resurgens,
IESU in Cælum eleva e.
IESU noster apud Patrem advocate,
IESU qui Spiritum Paraclitum Discipulis misisti,
IESU Matrem super Choros Angelorum exaltans,
IESU vivos & mortuos judicature,

Miserere nobis. Miserere

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos D mine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, Libera nos Domine.
A peste fame & bello, Libera nos.
A cunctis mentis & corporis per..ulis, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine
Per mundissimam Conceptionem tua Libera nos Domine.
Per miraculosam Nativitatem tuam, Libera nos Domine.
Per humilem Circumcisionem tuam, Libera nos Domine.

Per Baptiſmum & Sanctum Jejunium tuum, Libera nos Domine.
Per labores & vigilias tuas,
Per doloroſam flagellationem, & Coronationem tuam,
Per ſitim, lacrymas, & nuditatẽ tuam
Per pretioſam mortem & Crucẽ tuam
Per glorioſiſſimam Reſurrectionem & Aſcenſionem tuam, Libera nos.

Libera nos Domine.

In die judicij, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis Indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam Sancti Spiritûs cordibus noſtris clemẽter infundere digneris
Ut Societates in tuo nomine congregatas conſervare & amplificare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut nobis veram pacem, humilitatem & charitatem largiri digneris,
Ut in Gratia & Sancto ſervitio perſeverantiam nobis dare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut nos ab immundis cogitationibus & dæmo-

dæmonũ tentationibus & damnatione perpetua liberare digneris. Te roga:

Ut nos Collegio Sanctorum tuorum. sociare digneris. Te rogamus audi nos

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi nos,

Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. *Pater noster, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Adoramus te Christe & benedicimus Tibi.

℟. Quia per Sanctam Crucem redemisti mundum.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine IESU Christe, qui hora sexta pro redemptione mundi, Cru-

cis patibulum ascendisti & Sangvinem tuum Pretiosum, in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, Te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum Paradisi, januas nos gaudenter introire concedas.

QUæsumus clementiam tuam, ut nos famulos tuos gratâ tuâ confirmare digneris: ut in hora mortis nostræ, non prævaleat contra nos adversarius noster; sed cum Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam æternam. Qui vivis & regnas &c.

ORATIONES.
AD VULNERA CHRISTI.

ROgo Te Domine JESU, per illa salutifera Vulnera tua, quæ passus in Cruce pro salute nostra è quibus emanavit ille Pretiosus Sangvis, quô sumus redempti; vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneô & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Confige cor meum, jaculô tui amoris, ut dicat tibi anima mea, charitate tuâ vulnerata sum; ita ut ex ipso vulnere

amoris

amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute Domine, percute obsecro durissimam mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, &c.

Duæ Orationes S. BRIGITTÆ, ad longitudinem & profundiatem Vulnerum Christi.

I. O IESU Alpha & Omega, vita & virtus, in omni tempore recordare, quod à summo capitis, usque ad plantam pedis te pro nobis in aqua Passionis tuæ demersisti. Propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum, doce me per veram charitatem, custodire latum mandatum tuum nimis in peccatis demersum, Amen.

Pater noster, Ave Maria, &c.

II. O JESU abyssus profundissima misericordiæ, rogo Te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, ac viscerum tuorum: ut me submersum in peccatis emergas, abscondasque me in

foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor Tuus Domine, Amen.

ORATIO.

Ad JESUM Salvatorem.

DEUS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari: à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus Innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, [illegible]olaphis cædi, arundine percuti, facie vel[illegible]ri, vestibus exui, Cruci clavis af-[illegible] in Cruce levari, inter latrones de[illegible]utari, felle & aceto potari, & lanceâ [illegible]ulnerari. Tu Domine, per has San[illegible]ssimas pœnas tuas, quas ego indignus [illegible]colo, & per Sanctam Crucem tuam, [illegible]era me à pœnis inferni, & perducere [illegible]igneris, quô perduxisti Latronem te[illegible]cum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto, vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Devo-

Devotissimus quotidiè Sacratissima quinq; vulnera Domini nostri
JESU CHRISTI,
salutandi modus.

I. DUlcissime JESU, adoro Vulnus Manus Tuæ dextræ, da mihi quæso victoriam de me ipso, & gratiam extirpandi ex corde meo omnia vitia, & inclinationes malas. Recommendo tibi in hoc vulnus, universalem Sanctæ Ecclesiæ statum, conversionem infidelium & reductionem ad eandem omnium Hæreticorum.

II.

III ... tissim...
xtræ, Da mihi q

ſemper in melius in via tuorum Sancta-
tiſſimorum Mandatorum, in operibus
bonis, & augmento omnium virtutum,
ſecundùm tuam Sanctiſſimam & Divi-
nam voluntatem In idem Sacratiſſimum
Vulnus, commendo Tibi omnes Eccl
ſiaſticos, & utriusque ſexûs Religioſ[illegible]

Pater noſter, & Ave Maria, &c.

IV. BEnigniſſime JESU, adoro Sacr-
tiſſimum Vulnus Pedis tui Siñi-
ſtri. Obſecro te, libera me ab omnibus
periculis tàm animæ, quàm corporis,
da mihi gratiam effugiendi omnia p
cata [illegible] candi occaſion[illegible]

ae Passion Domini

q; im creaturas derelicto, tu solus semper cor meum inhabites. Commendo his Sacratissimis vulneribus tuis omnes animas, quæ in purgatorio dementur.

Pater noster, Ave Maria, Credo &c.

RATIO AD S. SYNDONEM

ANTYPHONA.

O Magnum Mysterium, ô profundissima Vulnera, ô Passio acerbissima cedo Deitatis, adjuva me ad æternam felicitatem consequendam.

℣. *Tuam Syndonem adoramus Domine,*

℟. *Tuam recolimus Sanctam Passionem.*

OREMUS.

DEUS, qui nobis in Sancta Syndone, qua Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam, ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, A.

RATIO pro DEFUNCTIS.

Ve benignissime Domine JESU Christe, qui nunc florens, & ama-

nos

nus resplendes in gloria Divinæ Majestatis, & decore perpetuæ immortalitatis, ego qui omnium creaturarum extrema sum, ad pedes tuos humiliter procido, & devotissimè te adorans, tuique solius laudem, & gloriam ex intimis cordis, & animæ medullis desiderans, & sitiens, peto à te ô amantissime JESU! ut in hac die animas omnium Spiritualium, & specialium tuorum à pœnis absolvere, & æternis gaudijs sociare digneris. Sed & pro animabus meorum Primogenitorum, Benefactorum, amicorum, vel alias mihi conjunctorum, & commissorum, humiliter Tuam exoro clementiam, ut earum reminisci, pœnasquè earum rore tuæ misericordiæ vel mitigare, vel ad plenum extingvere digneris. Ad quod citius obtinendum, Mortem Tuam acerbissimam offero, & in unione innocentissimæ ejusdem tuæ Passionis & mortis dignissimas ego peccator, tibi Regi Regum Domino, cum affectu adstans, præbeo tibi totam substantiam mei corporis, & animæ, ad serviendum tibi, quo-

ad vi-

ad vixero pro voluntate tua, & colendæ Majestatis tuæ gloria. Offero tibi in eadem unione omnem tolerantiam cordis & corporis mei, quam in adversitatibus, & infirmitatibus meis, unquam pertuli, aut perferam, & me totum Divinæ tuæ Pietati præbeo, & offero ad tolerandum in corde, & corpore, quæcunq; tibi placita fuerint, pro eo; ut animas illas à Purgatorij pœnis liberare, plenamq; illis beatitudinem conferre digneris. Ecce flecto genua ante te, Domine, veniam pro illis humiliter postulans, & misericordiam, da illis Domine, refrigerium in tormentis suis: erue eas à Pœnis, & optabili vultu tui manifestatione eas exsatia, ut consolatæ repleantur laude, & magnitudine, & benedicant Nomini Tuo in sæcula sæculorum, Amen.

Oratio efficax pro iisdem.

MIserere Piissime JESU Animabus in Purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam assumpsisti mortemq; amarissimam subiisti. Miserere gemituum miserere lachryma-

rum quas ad te fundunt, & per virtutem Passionis tuæ condona eis pœnas peccatis ipsarum debitas. Descendat Piissime JESU Sangvis tuus in Purgatorium, & recreet refrigeretque omnes ibi captivas ac patientes. Porrige eis dexteram & duc eas in locum refrigerij lucis ac pacis, Amen.

Ad Devotos erga Animas Purgatorij.


PLacuit suæ Sanctitati concedere, ut omnes supra prædictæ Indulgentiæ Animabus in Purgatorio detentis applicari possint. Et ideò quilibet hunc fructuosum laborem, hanc Coronam orandi suscipere non gravetur, illud considerans, quòd S. Augustinus in sermone in Sanctis dicit: quòd scilicet humanus intellectus comprehendere non valeat pœnas flammarum purgantium... us de ijs scribit Cirillus. Quòd animæ Purgatorij libentiùs omnes pœnas mundi initio usq; ad finem ab hominibus toleratas, & sufferendas sustinere vellent, quàm unâ die in Purgatorio torqvueri. Compatere igitur his animabus: nam qui afflictio proximo com-

patitur malâ morte non morietur, juxta
S.Hieronymum, ad suum Consangvine-
um. Non potest autem major compassio
esse quàm animabus Purgatorij succur-
rere. Quam gratum hoc Deo sit, testan-
tur gratiæ, & favores à Deo erga has
Animas devotis exhibiti. Quod ipsum
in tract: *de* Jubilæo *part:1.cap:15.* Hie-
ronymus Gratianus ostendit, dum di-
cit: exivisse Vaglidolid ex quodam
cœmeterio, permittente Deo magnum
numerum animarum hominum defun-
ctorum, quæ, quendam sibi devotum,
ab inimicis suis interficiendum, defen-
derunt. P. Alexius Regala, in Libro
Triumphorum Animarum Purgatorij
cap: 7. narrat. Animas has quendam
alium sibi devotum, prælucentibus faci-
bus, illo non advertente, domum duxis-
se, & cùm domum attigisset, vocem au-
ditam: Vade in pace: nos sumus Ani-
mæ defunctorum, quæ te comitatæ fu-
imus, ne ab inimicis tuis interficereris.
In Speculo Exemplorum §. 8. Meminit
Henricus Gratianus, Eusebium Ducem
ex Sardinia, in harum Animarum sub-

sidium,

sidium, medietatem proventuum dit[illegible]
mæCivitatis impendisse; quæ cùm Ost[illegible]
rigo Duce Siciliæ expugnata fuisset,
hic dum eam cùm 6000. militum intra
re vellet, torus Ostorigi exercitus a
animabus Purgatorij candidè vestitis i
fugam actus, & rursum Civitas Euseb[illegible]
restituta fuerit. Ex his collige, quàm
misericors Deus sit erga illos, qui erg
eas animas sunt misericordes.

Quapropter, ô anima Christiana, ju[illegible]
eas per eleémosynas, jejunia disciplina
offertoria, Communiones, Oration[illegible]
& alia pia opera, præsertim Indulge[illegible]
tias, quæ huic Coronæ sunt annexæ, [illegible]
ora etiam, ut alij idem peragant; f[illegible]
[illegible] est, quisquis huic devotioni e[illegible]
defunctorum animas studet. Felix i[illegible]
milia, Domus, & Civitas, quæ ijs pa[illegible]
entibus succurrere conatur. Spem[illegible]
mq; sibi faciunt, quod harum Ani-
arum precibus, à temporalibus, & æ-
ternis, corporalibus, & Spiritualibu[illegible]
periculis, & miserijs defendentur
in DEI gratia vivent, & morientu[illegible]
nec sentientes Purgatorij ignem,
vitam æternam obtinebunt.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0024904

